



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Hoc signum magnum Ecclesiam esse: & cur signum appelletur? Signum
magnum apparuit in cœlo. Sectio II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

COMMENTARIUM PRIMUM EXEGETICUM.

De quarta visione Ioannis.

Imaginaria huius capitis visio describitur.

SECTIO PRIM A.

P R I M U M vidit Ioannes signum magnum in cælo, mulierem scilicet amictam sole, prementem pedibus Lunam, & gestantem in capite coronam duodecim stellarum: quæ grauida erat, & parturiens cruciabat, vt pareret. Secundò. Vidit aliud signum in cælo, nimirum draconem magnum, & rufum, habentem capita septem, & cornua decem, & in capitibus diademata septem: caudaque eius tertiam partem stellarum cæli in terram trahebat. Tertio. Draco ille stetit ante mulierem, vt simul atque peperisset, filium eius deuoraret. Sed contra accidit: mulier enim peperit filium masculum, qui relicturus erat omnes Gentes in virga ferrea, raptusque est ad Deum, & ad thronum eius: mulier autem fugit in solitudinem, in locum à Deo paratum, vt eam ibi pasceret diebus mille ducentis sexaginta. Quarto. Factum est prælium magnum in cælo: Michael enim, & Angeli eius præliabantur cum dracone: & draco etiam ex altera parte, & Angeli eius depugnabant. Sed non prævaluerunt, nec inuentus est locus eorum amplius in cælo. Quintò. Draco ille magnus, & serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem, projectus est in terram, & angeli eius maxima cælitù acclamatione dicentium: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia projectus est accusator fratrum nostrorum: illudque subiungentium, Vt terra, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, scies, quod modicum tempus habet.* Sextò. Post quæ draco vidit, quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ pepererat masculum, cui tamè data sunt duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum à facie serpentis, id est, fugiens faciem serpentis: (sic enim nectendus est hoc loco contextus) vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Septimò. Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. Verùm adiuuit terra mulierem, & aperiens os suum absorbit flumen, quod draco miserat. Postremò. Iratus draco in mulierem, abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui nimirum custodiunt mæ data Dei, & habent testimonium Iesu Christi, stetitque super arenam maris. Hæc de visione: iam de multiplici visionis mysterio disputandum.

Hoc signum magnum Ecclesiam esse: & cur signum appelletur?

Signum magnum apparuit in cælo.

SECTIO II.

H Anc mulierem, quam Ioannes signum magnum appellat, in literali sensu Ecclesiam esse communis est interpretum expositio, Andr. Cæleriens. Bedæ, Primas. Rich. Vict. Rup. Pann. Ioach. eam etiam tradit Method. in lib. cui titulus est *symposium*, & D. Greg. li. 34. Mor. c. 7. Quo fit, vt qui hanc visionem de beatissima Virgine interpretantur, non literalem, & historicum sensum, sed mysticum, & allegoricum sequantur: præterquam quod neque ipsa visio tota Virgini congruit.

I.
Andr. Cesar
Beda.
Primas.
Rich. Vict.
Rupert.
Pann.
Ioach.
Method.
D. Gregorius

Siquidem hæc mulier maximè cruciabatur, vt pareret: cum Virgo beatissima filium suum absque vlllo sensu doloris, & molestia non solum nouem mensibus in vtero gestauerit: sed etiam pepererit. Accedit, quòd fugam mulieris in desertum Virgini rectè accommodari non potest. Verum nos de hac allegorica expositione etiam agemus, postquam literalem tradiderimus.

Est igitur aduertendum signum tripliciter potissimè vsurpari in sacris literis.

II. Prima enim eius acceptio est pro miraculo, eo quod miracula diuinam veritatem

Prima signi acceptio pro miraculo. Psal. 134. 7. Act. 5. 12. Secunda pro vexillo. Esai. 5. 26. D. Hieron. Gentium vocatio. Psal. 73. 4.

confirmant, & quasi signent: ita sumitur Pl. 134. *Et misit signa, & prodigia in medio cui Egypte: & Act. 5. Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe: & læcētis alijs in locis.* Secunda signi acceptio est pro vexillo, veluti Esai. 5. *Eleuabit signum in nationibus, procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet.* Quem locū de Hier. interpretatur de Romanis, qui sub Tito Iudæorū Gētem opprēserunt, quos Dominus quasi vexillo erecto è longinquo euocasse dicitur: simul etiam aliorum refert sententiam, qui de Gentium vocatione locum accipiunt, quæ nimirum eleuato signo crucis, & depositis oneribus peccatorū velociter venerint, atque crediderint. Eodem sensu signum accipitur Pl. 73. *Posuerunt signa sua, signa: & non cognouerunt sicut in exitu super summum.* Priori enim loco lumūtur signa pro vexillis: posteriori pro monumentis hoc sensu: Infideles aduersarij tui (loquitur cum Deo de euerione vr̄bis, & profanatione tēpli) victores de nobis effecti vexilla sua ex cælo loco, cuiusmodi sunt exitus, siue portæ ciuitatū, per quas omnes egrediuntur, exerunt manifesta victoriæ suæ monumenta: & non cognouerunt se tua permissione eam victoriam consequutos, sed suæ eam virtuti ascripserunt. Tertio. Sumitur signum pro scopo, in quē sagittæ collimātur, veluti

Tertia pro scopo. Thren. 3. 11.

Thren. 3. *Tendit arcus suum, & posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filius pharetræ suæ, id est, sagittas, quæ appellantur filia pharetræ, quia in pharetra gestantur, loquiturq; Hierusalē de supplicio sibi à Deo inflicto per exercitū Assyriorum, significatq; vt interpretatur D. Tho. in suis cōm. super Thr. Deū retendisse arcū, id est, iudiciū vel exercitū hostium, posuisseq; illam quasi signū ad sagittam, in quod videlicet Assyrij sagittas suas iacerent. Eodemq; locutionis genere vsus est Iob, cū dixit c. 16. *Tenuit ceruicem meā, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum,* videlicet in quod omniatela sua cōiiceret vnde statim subiungit: *Circūdedit me tæcū suis.* Quem*

D. Thom. Job. 16. 11.

locū D. Gregorius li. 13. Mor. c. 6. de fideli populo mysticè expendens, *Idcirco, inquit, signū ponitur, vt sagittarū emissionē feriatur. Fidelis itaq; populus in signū hosti suo est persequens: quia eum semper suis ictibus impetit, suisq; persecutionibus affligit: qui enim in hac vitæ*

D. Gregor. Insi. positi in mundo. vs. si. torū sagittis.

*absidua mala tolerat, veluti in signum positi ictus excipit ferientis. Vnde Paulus cū persecutionū mala toleraret, atque sub persecutione aduersariorum gement, teneret discipulorū mentem de suis afflictionibus cōsolans ait 1. Thes. 3. *Ipse enim scitis, quòd in hoc positi sumus: ac si eis apertè**

2. Thes. 3. 3.

*diceret, inquit Greg. Quid in hoc tempore vulnera nostra miramini, qui si æterna gaudia querimus, hæc ad hæc venimus, vt feriamur: Eodem sensu dixit de Christo Simeon. *Hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicitur.* Sic enim eum locum intellexit Tert. li. de carne Christi c. 23. vbi dispūans aduersus*

Lac. 2. 34.

Marcionem negantem veram in Christo carnē, *Cognoscimus, inquit, adimpleri propheticam vocem Simeonis super adhuc recentem infantem Dominum pronunciatam: Ecce hic positus est in signum, cui contradicitur: signum natiuitatis Christi secundum Esai. c. 7. *Propterea Dominus dabit ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium: agnosce-**

Christus signum contradicibile ex Tertull. Esai. 7. 14.

mus enim signum contradicibile conceptum, & partum virginis Maria. Hæc ille.

III.

Ecclesia fundatio magnū miraculum.

Primum igitur Ecclesia signum est magnū, quia ipsa per se magnum quoddam est miraculū à Deo mirabiliter effectum. Verè enim miraculū est Ecclesiæ cōtra tam multas,

VIE
I
Apoc
2

multas, tāq; difficiles Gentiu omnium, ac Principum persecutiones non solū fundatio, sed, ut ita dicā, prodigiosa progressio. Præcipue verò, si spectentur ij, per quos fundata est, hoc est, Apost. pauci numero, genere humiles, adque vlllo vel humane sapiētia, vel opū, mundanaque potentia præsidio. Hanc enim potissimū ob causā appellatur à Paulo gloria Christi. 2. Cor. 8. sine, inquit, fratres nostri Apostoli Ecclesiam gloria Christi: vbi gloria numerandi casus est, habetur enim Græcè: δὸς ἑα καὶ ἑα. Appellatur autē gloria Christi: quia Ecclesie per eos fundatio diuinam Christi potētia, splendorē, & gloriā declarauit. Deinde signū, siue vexillū fuit quod Deus erexit suæ erga homines benevolentia, idcirco enim Ecclesiam cōdidit, quia homines adamauit: idque Ecclesia ipsa agnoscit, & disertis verbis cōfiterur, cū ait Cāt. 2. Ordinauit in me charitatē: seu ut alij trāsferūt ex Hebræo: *Posuit in me vexillum amoris.* Aqua etiā expositione nō abhorret nostra translatio: *Quidem hoc loco ordinatū* verbū militare est ad eum sensum, quo milites in acie instrui, & ordinari solēt. Est enim Hebraicē vox *Dagal*, quæ propriē significat vexillū erigere: translatē verò insignem esse in re aliqua, vel eminere: simulque iuxta nostram editionem significatur charitatem ipsam solam esse veluti quēdam numerosum exercitū, qui aduersus animæ hostes instruitur, & ordinatur. Et iuxta eum sensum, quē sequimur ex translata verbi *Dagal* acceptione, indicatur maxima, & illustria amoris argumenta ostendisse spōlium erga Ecclesiam, & in eis insignem fuisse: imò quasi vexillū sustulisse, quod omnes gentes intrepidē sequerentur, iuxta illud Elaiæ 5. superius cōmemoratum: *Eleuabit signum in nationibus.* Nec verò quodlibet signū: sed magnum signum fuit: quia hoc Ecclesie vexillum maximum effecit, toto videlicet orbe expansum, ut cōspiciuū esset omnibus, qui ad Ecclesiam aggregari vellēt.

Denique signum est, siue scopus, in quem omnes Tyranni, ac Principes suarum persecutionum sagittas collimarunt: ita ut optimo iure ipsa quoque signū cōtradictionis appellari possit iuxta illud Thren. 3. *Posuit me tanquā signū ad sagittā.* Nec sine mysterio dicitur signum magnum, & ita magnum, ut ab eo persecutorum sagittæ aberrare non potuerint: cum ē cōtrario scopus exiguus esse soleat, ut difficile sit illum attingere. Enim vero Deus potentia suā, & virtutis cōscius Ecclesiam signū quoddam magnum esse voluit, persecutoribusq; opposuit, ut ab eo aberrare nō posset. Verū simul idē signum fecit impenetrabile, ne aduersariorū sagittæ in Ecclesia intentæ eā vlllo modo possent penetrare, in quo maior diuinæ potētiae magnitudo cernitur. Et verò quis mulierē inter caelestes orbes cōsidentem, quippe quæ lunā pedib. calcaret, solēq; cōtingeret, ferire posset, cū ante ealū ipsum natura impenetrabile, supra quod lecura residēbat, penetrare oporteret, hoc est; diuinā ipsam potētia, qua Ecclesia nititur, superaret. Quod argumētū quāquā aliū in hoc opere tractauimus, adhuc tamen possumus alijs script. testimonijs locupletare.

Primū ducitur ex Pl. 128. vbi Ecclesia de se ipsa ita loquitur. *Sape expugnaverunt me à iuuetute mea, dicat nunc Israël: Sape expugnaverunt me à iuuetute mea atenim nō potuerūt mihi. Sape expugnaverunt me à iuuetute mea, dicat nunc Israël: Sape expugnaverunt me à iuuetute mea atenim nō potuerūt mihi.* Quo loco ad literam sermo est de Synagoga, cuius pueritia in Aegypto fuit, vbi cæpta est eius persecutio: & generalius de Ecclesia, quæ in ipsa sua infantia oppugnata fuit, cū Cain Abelem fratrem obruncauit. Sic enī hūc locū intellexit D. Aug. in cōm. *Magnus, inquit, effectus sic capisse, quasi aliquid iam loqueretur: videtur enim nō capisse, sed respondisse. Respondit autē quarebus, & cogitationibus infirmorū: Sape expugnaverunt me à iuuetute mea. Nunquid ideo non peruenit ad senectutem, quia non cessauerūt illi expugnādo? Cōsoletur igitur se Ecclesia de præteritis exemplis, & dicat: Etenim non potuerūt mihi.* Hæc Aug. Quod vero sequitur, hunc sensum habet: *Sape aduersum*

Apostoli Christi gloria.

2. Cor. 8. 25. Ecclesia vexillum benevolentie Dei erga homines Cant. 2. 4.

Charitas numerosus exercitus aduersus animæ hostes.

III. Ecclesia quod pacto Tyrannorum scopus Thren. 3. 12.

Eiusdem in persecutionibus securitas.

Psal. 128. 5.

Ecclesia in infantia oppugnata, & infirmas. D. August.



meū fabricauerunt peccatores, immensam videlicet persecutionum fabricam, sed quæ non me, sed ipsos contereret: vnde subiungitur: Dominus iustus concidet ceruices peccatorum: confundantur, & conuertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

Secundū testimoniū duci potest ex Zach. i. Et leuans, inquit Propheta, oculos meos, & vidi. & ecce quatuor cornua. Et dixi ad Angelū, qui loquebatur: Quid sunt hæc? & dixit ad me: Hæc sunt cornua, quæ ventūauerunt Iudæ, & Hierusalem. In quem locū Hebræi, D. Hier. & alij per quatuor cornua accipiunt quatuor mundi imperia quæ Hebræorū Gentē quali tauri ventilauerunt, in typū videlicet Ecclesiæ, in quā omnes Reges, atque Principes tanquā ferocissimi tauri insurrexerunt. Sed vide, quid sequitur: Ostendit mihi Dominus quatuor fabros, & dixi: Quid isti veniūt facere? qui ait: Hæc sunt cornua, quæ ventilauerūt Iudæ per singulos viros, & nemo eorū leuauit caput suū, & veniunt isti deterrere ea, vt deiciat Cornua Gentium, quæ leuauerunt cornu super terrā Iudæ. Per hos quatuor fabros D. Hier. Theod. & Cyril. Alex. intelligūt Angelos, quorū præsidio Ecclesia defenditur, & Tyrannorū, atque hæreticorū omnium vires quali cornua cōteruntur. Alij, in quibus est Carthul. quidā apud D. Hier. in eum locum, volunt fabrorū nomine accipiēdos esse quatuor Euangelistas, qui omnium regnorū potētiam, quæ antea Ecclesiā persequabantur, Euangelij prædicatione, & miraculorū fulgore Christi imperio huius loci expositione plura diximus in nostris super Zach. cōmetarijs, quæ Deo volente cum reliquorū minorum Prophetarū cōmentatione foras dare instituiamus. Deniq; Gen. 4. Tubalcaïn in typum diaboli dicitur fuisse malleator, & faber in cuncta opera artis, & ferri: sic enim diabolus malleator est Ecclesiæ, quippe qui eam fortissimā Tyrānorū, & hæreticorū iustibus percutit: quæ tamen tanquā incus fortissima malleos omnes cōminuit, & conterit. Quam ob causam dicitur Hier. 50. Confractus, & cōtritus est malleus vniuersa terra: vbi per malleum vniuersæ terræ diabolus Ecclesiam persequentem interpretatur Orig. in comm. eius loci. Nec verò id mirū videri debet, cū Ecclesia adamantina describatur Amos 7. iuxta translationē 70. Ecce vir super murū adamantini, & in manu eius adamantus: & dixit Dominus ad me: Ecce ego iniciā adamantē in medio murū adamantini populi Israel. Vbi per adamantē Christus in manu Patris, per murum adamantinū Ecclesia, supra quā est Christus, accipiēda est. Itaque Christū tanquā adamantem in medio omnium Gentium, ac Principum misit: quem tamen nulla potentia frangere vnquam potuit: quod idem adamantino muro, id est, Ecclesiæ contigit.

Cur Ecclesia in cælo apparuerit.

Apparuit in cælo.

SECTIO III.

I. CVM mulier Ecclesia sit, vt diximus, perspicuū relinquunt cælū hoc loco non ipsam Ecclesiā significare: iā enim Ecclesia in se ipsa apparuisset. Quare existimamus illud hoc loco indicari Ecclesiā cælestē esse, hoc est, de cælo descēdisse per electionē diuinā: quemadmodū alijs in hoc opere dicit Ioan. vidisse se spontam Agni descendētē de cælo. Præterea, vt vult Panno. Apparuit in cælo mulier, quia Ecclesia cælestē vitam agit, vnde & in terris quasi peregrina versatur, quia & genere, iuxta priorē rationē, & cōuersatione, iuxta posteriorem tota sit cælestis. Id quod elegāter dixit Tert. in Apolog. c. i. vbi agēs de persecutionib; Ecclesiæ, nihil, inquit, Gens Christiana de causā suā deprecatur, quia nec de conspitione miratur: scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos inuenire: caterū genus, sedē, spem, gratia, dignitatem in cælis habere. Vnū quæsit interdū, ne ignorata damnetur. Hæc ille. In tribus verò potissimū Ecclesia se ostēdit de cælo esse, lingua, moribus, affectu. Hæc enim triplici ratione potissimū, cuius sit quispiam, diiudicari solet. Et quidem de lingua diētam

Ecclesia
genere, & cō-
uersatione ca-
lestis.
Panno.
Tertullian.